



SYffridus Petrus Leouardiensis apud Belgas
 honesto loco natus, & in literis feliciter educa-
 tus est. Is cum in patria prima elementa didicisset,
 ad celebres Germaniæ Vniuersitates peruenit, ac
 in primis Erdphurdia Græcæ & Latinæ linguæ
 præclaram operam nauauit. In his etiam adeò pro-
 fecit, ut in eo loco earum linguarum, atq; artis ora-
 toriæ professor constitueretur. Eam functionem
 cum aliquandiu magna laude obijisset, à Reueren-
 dissimo præfuli Atrebatensi uocatur, & à secretis
 epistolis ob multarum rerum usum cõstituitur. In-
 de Louanium accessit, atq; in eo gymnasio litera-
 rum studia plurimum adiuuit. Quin etiam quædã

opuscula in Plutarchi moralibus ex Græco uertit & annotationibus adiectis
 edidit. In Ciceronis etiam opera castigationes ex manuscriptis exemplaribus
 magna diligentia collegit, quæ suo tempore in lucem peruenient. Hoc
 modo Syffridus Louanij celebris existit, & sua eruditione omni-
 bus doctis innotescit. Anon.